

*Charitas
etiā mi-
nima o-
pera
magna
facit.*

gloriæ quæstu contaminatam, sed ex puro corde procedentem: qua obtenta non tantum illustria dona & opera, sed minima insuper, quale est poculū frigidæ, Deo charissima gratissimaque sunt futura. Op⁹ enim exiguum quod à sincera charitate humilitateq; proficiscitur melius & præstantius est maximis quibusq; , quorum origo sit superbia & gloriæ aucupium.

CAPUT XXXII.

NON MAGNA DONA, SED FIDEM quæ per charitatem operatur, ostendere hominem Christianum & Deo acceptum.

1. Cor. 4. Non in sermone est Regnum Dei, sed in virtute.

*Deus nõ
exigit à
nobis
magnam
scientiã.*

BEATUS Paulus Christianum hominem descripturus, brevibus rem conficiens ait 1. Tim. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & consciëntia bona, & fide non ficta:* Quasi dicat, ut Christianus & Deo acceptus homo aliquis fiat, non requiruntur ardua & sublimia, nõ polymathia, nõ eruditio, nõ dona, nõ prophetia, non eloquentia, nõ linguarum cognitio, non deniq; miracula; sed ut fidem habeat, in charitate omnia